



el-
de-
es-
re

e-
is-
it-
il-
le

it-
;
e

LES NOUVEAUX STATUTS DE L'APOSTOLAT DE LA PRIÈRE

I.—TEXTE LATIN.

STATUTA

PLÆ SOCIETATIS APOSTOLATUS ORATIONIS

I.—Apostolatus Orationis est pia Societas, quæ Apostolicum munus divinæ gloriæ et animarum salutis promovendæ exercet Oratione sive mortalí, sive vocali, et aliis etiam piis operibus, quatenus impetratoria sunt, et Sanctissimum JESU Cor nobis conciliare possunt ad prædictum finem assequendum. Quare licet Apostolatus Orationis quædam cum aliis piis Societatibus, ex. gr. SS. Cordis JESU, et Rosarii viventis, communia habere videantur ; tamen ab iis omnibus tum fine, qui maxime universalis est, tum mediis peculiaribus, quibus utitur, prorsus distinguitur.

II.—Tres sunt hujus Apostolatus gradus pro operum varietate, quæ exercere curat, unde triplex sociorum ordo. Primus gradus (qui essentialis est et omnibus sociis communis) ab iis constituitur, qui quotidie certa quadam formula suas preces omnes, actiones, et ærumnas DEO offerunt una cum Sanctissimo Corde JESU, et in eos omnes fines, ob quos Dominus Noster assidue interpellat, et se in sacrificium offert pro nobis. Unde amor et devotio erga Sanctissimum JESU Cor valde propria est sociorum omnium qui Apostolati Orationis accensentur ; siquidem devotio hæc, licet non constituat *finem* Societatis, *medium* est omnium validissimum et prorsus singulare, unde et socii omnes, exemplo Sanctissimi JESU Cordis permoti, ad orationis studium impensis excentur, et oratio ipsa, una cum eodem Sanctissimo Corde peracta, efficacior evadat, et intentum finem gloriæ divinæ promovendæ assequatur.